



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catena Aurea**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**[S.I.], 1661**

Annulus VIII. Gaudium Academiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7709**

## ANNULUS VIII. 225

## GAUDIUM ACADEMIAE.



O ET PRÆSIDIVM ET DVLCE DECVS MEVM:

Uc Paderana oculos animumque Academia flecte,  
 Mira cano; pariunt res nova secla novas.  
 Fastidit Phœbum bifidique cacumina montis,  
 Nauseat & fontes turba novena suos.  
 Montes vestigant alios, saltusque, nemusque,  
 Ad fontes properant Padera glauce tuos  
 Quem montem quæris? montem ne quære pelasgum  
 Gratior haud Musis PRINCIPE MONTE locus.  
 Mons Princeps aliis Paderanas surgit ad oras  
 Celsior; hoc sedem vertice musa locat.  
 Quem Phœbum quæris? Phœbo similem ve parem ve  
 Repperias? reperit, credite, Musaparem.  
 Res nova, Parnassum sibi quem delegit, eundem  
 Et sibi delegit turba novena Ducem,  
 Sic Helicon Princeps, sic fit Fernandus Apollo.  
 Acclama Phœbo, Musa, Poëta novo,

20.  
DECUS ACADEMIE PADERANÆ.

**M**ulti intra XLV. annos (quibus stet) ingenio scientiaq; præstantes viri ex Academia THEODORIANA prodiere; qui Remp. tam Ecclesiasticam; quam Politicam, quantum ornarent, tantum juvarent. In re politicâ innumeros novimus Doctores, qui aut Medicinæ in Physicis, aut jurisprudentiæ in Ethicis iustic fundamenta jacerent: novimus ex iis, qui Imperatorum, Regum, Principum moderentur consilia, legationes sapienter obeant, qui jus dicant populo, qui summos magistratus cum dignitate gerant.

In Re vero Ecclesiastica, quis numerum ineat eorum, qui ex Academia profecti Ecclesiam Dei curarent? Quis in urbibus oppidisque Pastores recenscat, in monasteriis religiosos, in templis Cathedralibus Collegiatissime Canonicos & Vicarios, Quis Suffraganeos, Abbates, Praelatos omnes enumeret? Qui stellas cœli, idem Academæ nostræ lumina enumerarit. Tot stellis sol deerat; postquam Academia multos edidisset Prænobiles & Illustres, deerat Illustrissimus. Hunc nobis hodierna detexit dies FERDINANDUM Baronem à FURSTENBERG, qui uti oīm in Academâ literis, sic in Rep. nunc præstaret dignitate. De literis tabula, ex Academica Annis 1646. testabuntur, cum studium stadiumq; Philosophicum ingressus, & cum ingenii non infelibus congresitus, palmam abstulit, omniumque judicium calculis juventutis Academica PRINCEPS est proclamatus. De dignitate nihil attinet dicere, ipsa dicit dies, quando, quem privatum oīm reverebatur hodie Principem Academia cum tota salutat patria. Fuge ILLUSTRISSIME PRINCEPS decus si quod oīm ab Academia acceperisti, cum fœnore hodie reddisti, quando splendorem ab Academia acceptum reverberas in Academiam, & per se inclytam, multo facis illustriorem, quippe ILLUSTRISSIMUS; & primus ex Academia ILLUSTRISSIMUS, ex gente FURSTENBERGICA secundus. Benè ominor. Primus gentis FURSTENBERGICAE Princeps ædificavit, fundavit Academiam, Secundus temporum injuriā non parum attritam restaurabit, novis favoribus, splendoribus illustrabit. Credo ego lætari hodie in cœlis Academæ fundatorem. F.R. Principem THEODORUM, tum quia ex consanguinitate, tum quia ex Academia sua nepotem videt in suo collocari folio qui quicquid morte occupatus inchoatum reliquit, absolvere, quicquid absolvit tueri velit & conservare.

*N*on minor est virtus, quam querere, parta tueri.

Non minus de posteritate meretur, qui domum ædificat, quam qui fartam teatam servat, quid dicam, qui novis accessionibus auget, exornat?

Age DECUS ACADEMIE age PRINCEPS ILLUSTRIS-  
SIME radios collige, splendorem intende, ut quo oīm academico gloriabatur Academia, nunc PRINCIPE, nunc ME-  
COENATE, nunc redivivo FUNDATORE & RESTAURATO-  
RE uberiorius lætiusque glorietur.

FINIS.